Q. D. B. V.

DISSERTATIO INAVGVRALIS MEDICA

SISTENS

OPPROBRIVM MEDENTIVM, PHAGEDÆNAM,

QVAM,

AVXILIANTE NVMINE DIVINO,

RECTORE VNIVERSITATIS MAGNIFICO,

PRÆNOBILI ET CONSVLTISSIMO

DN. TOBIA JAC. REINHARTHO,

JCTO, SACRI PALATII CÆSAREI COMITE, JVRID. FACVLT. ASSESSORE ET PROFESS. COD. PVBL. ORDIN. CIVITATIS SYNDICO ET CONSVLE,

AMPLISSIMO MEDICORVM ORDINE IN HAC PERANTIQVA HIERANA GRATIOSE INDVLGENTE,

SVB PRÆSIDIO

DN. LAVRENTII THEOPHILI LVTHER,

MEDIC. DOCT. CHYMIÆ PROFESS. PVBL. FACVLTAT. MED. ASSESS. ORDIN. ET CIVITAT. ERFORD. CONSVL. SENIOR.

PATRONI AC PROMOTORIS SVI COLENDISSIMI,

PRO LICENTIA,

SVMMOS IN ARTE MEDICA HONORES ET PRIVILEGIA DOCTORALIA LEGITIME CAPESSENDI,

PVBLICÆ ERVDITORVM DISQVISITIONI EXPONET

JOHANNES GOTTLIEB Heüter/

Goslaria-Brunſvic.

DIE XIV. JVLII, ANNO M DCC XXXI.

IN AVDITORIO MAJORI COLLEGII MAJORIS, HORIS CONSVETIS.

ERFORDIÆ, Typis JOH. CHRISTOPH. HERINGII, Acad. Typogr.



PROŒMIUM.



Anta ſane tamque aperta & evidens eſt fermentorum quorumvis in toto Naturæ Regno ἐνέργεια & efficacia, ut, qui in eruenda, explananda, diſcernenda & deducenda illa deſudare cupit, vix unquam penitus & exacte eandem introſpicere, nedum pro dignitate & veritate demonſtrare atque explicare queat: Sic notum equidem & cognitum eſt, quod circa diverſam ſeminum in telluris gremio ſeſe multiplicantium rationem, circa animantium, mediante vivifico mucore in ovo contento potiſſimum ſeſe propagantium, modum generandi, imo circa mineralium in abditis terræ viſceribus & cryptis, ope ſubtiliorum vaporum multifariis particulis gravidorum, expanſionem & agglomerationem, utique evidentiſſima occurrat & concurrat Fermentorum activitas, & fervidiſſima ſeſe ampliandi & diffundendi aviditas: Aſt ſingularis & ſpecialis agendi atque ſtupendos ſæpius tales effectus producendi modus, verbo, tota ipſorum indoles & Natura plane planeque adhuc nos latet, aut meris ſaltem conjectu-

rarum nebulis obscurata & obfuscata hæret, quanquam de reliquo & necessitatem suam insignem abunde, nec non innumeris ferè exemplis patefaciat & exhibeat, ut propterea, licet fiendi modum ignoremus, de ipso tamen facto tanto certiores evadamus, hujusque saltem veritatem tanto minus negare nobis præsumamus. Taceo jam fermentorum artificialium, *tam culinarium, quam chymicorum, in alimentorum potissimum & medicamentorum præparationibus & operationibus maxime conspicuam activitatem & utilitatem, cuilibet, paulo attentiori solummodo animo talia consideranti statim obviam, horumque in locum produco* fermenta naturalia, *in corpore speciatim humano cuivis fere parti indita & ad functiones quascunque obeundas & rite perficiendas oppido necessaria, quorum eximium & vix unquam satis deprædicandum utilem effectum quilibet, in unico tantum concoctionis, chylificationis ac sanguificationis negotio, facillimè deprehendet & mirabitur. Dolendum vero est, quod, uti pleraque ex iis, quæ nobis ad conservandam corporis integritatem & mixtionem concessa sunt, pariter quoque eidem in detrimentum cedunt, & haud raro ejus corruptionem atque interitum promovent, simile quoque fatum* fermenta *experiantur, & quantum in statu naturali corpori nostro utilitatis afferunt, tantum etiam, imo longe plus periculi & noxæ portendant & inferant, quando scilicet in statu præternaturali, Dei indultu & hominis, tam physicè quam moraliter quotidie peccantis, culpâ, â nativa sua bonitate & puritate degenerant atque deflectunt, sicque tritum illud, quod corruptio optimi, pessima plerumque sit, aperte confirmant. Ex innumeris pessimæ indolis morbis, abinde communiter dependentibus, sufficiet jam pro ulteriori hujus asserti illustratione, unicam illam sonticam*

ulce-

ulcerationis vix coercendæ speciem PHAGEDÆNAM, *sive* Cancrum apertum, *tristissimam suam tragœdiam præcipue in partibus glandulosis, quæ lymphatico-salivalibus & præternaturali fermento jam depravatis humoribus vel maxime turgent, exhibentem, insuper remedia quævis mitiora eludentem & spernentem, fortiorum vero usu & applicatione magis magisque se se exacerbantem, eamque ob causam non immerito a* Musitano Tract. Med. Chirurg. Part. II. c. 23. pro Opprobrio Medicorum *habitum, nunc in apricum deducere, & speciminis inauguralis in locum paulo exactius perlustratum sistere: Quod ut feliciter ex voto succedat, faxit summus Animæ corporisque nostri Archiater.*

CAPUT PRIUS.

Signa & causas Phagedænæ tradit.

§. I.

UT secundum ordinem hactenus receptum in tractatione nostra ritè procedamus, ante omnia pauca quædam, ad nominalem truculenti hujus affectus definitionem spectantia, prælibanda erunt, quo deinde ad realia tanto facilior detur transitus. Etymon ergo ejusdem deprehendimus apud Græcos, qui illum φαγεδαίναν appellarunt, ἀπὸ τῦ φάγειν, sive ab *exedendo*, quoniam pessima hæc ulcerationis species illas partes, quas semel occupavit, successive depascit & continuo erodit, ac quaquaversum ulterius serpit, ad instar quasi Lupi rapacis, omnia indiscretim devorantis, nec prius ferè desinit, donec vel perforatis integumentis, ad ipsa viscera interiora, vel saltem ad alias nobilio-

biliores externas partes, fermentativa talis corruptio delata, totaque vitalis Oeconomia penitus turbata atque destructa fuerit, ut propterea ipsi etiam Latini, qui, rationem denominationis ab ante nominata illa insatiabili bellua mutuantes, hunc affectum in genere *Lupum* nuncuparunt, pariter exquisite genium & indolem illius descripsisse videantur.

§. II.

Ratione *Homonymiæ* vocabulum *Phagedænæ* non admodum diversimode accipitur, nisi quod in sensu generaliori omnia ulcera mali moris, serpentia & partes adjacentes erodentia, designet; in specialiori autem & strictiori significatione, non nisi *Cancrum exulceratum* denotet, de quo etiam in præsentiarum nobis maxime sermo erit. Quoad Synonymiam varia occurrunt nomina, quibus ille communiter insignitur, videlicet modo *Cancer* & quidem *ulceratus*, partim ob summam suam pertinaciam, dum parti, quam semel sibi elegit, hamulosos quasi pedes chelasque ita infigit, ut difficilis sit extricatio & grave admodum effugium; partim etiam ob concurrentem simul circumjacentium venarum subnigrarum, tanquam radicum viroso fermento gravidarum, dispersionem, qua pedes Cancri marini divaricatos quodammodo æmulatur, nec non ob colorem sublivido-fuscum & maculas asperiores & discolores conjunctas, quæ in Gammaris etiam quandoque reperiuntur: Modo etiam *Carcinus* & *Carcinoma*, imprimis apud DIOSCORIDEM *Lib. I. & II.* & CELSUM *L. V. c. 28.* audit, mutuatis nimirum â Græcis καρκίνε & καρκινώματος vocabulis, quæ tamen proprie magis

gis *Cancrum occultum* indicant; item Veterum illa denominatio, nempe *Noli me tangere*, qua itidem juxta DOLÆUM *Encyclopædiæ chirurgicæ Lib. V. c. 8. §. 1.* latitantem non nisi cancrum insigniebant, quippe qui frequentiori & præsertim inconvenienti tactu magis semper exacerbatur, quam mitigatur. A Germanis autem usitatissimè der Krebs, ein Krebs-Schaden, Krebs-Geschwür, um sich fressend Geschwür rc. vocari assolet.

§. III.

Præmissis hac ratione iis, quæ ad Onomatologiam spectant, nunc ad intimiorem pessimi hujus affectus considerationem progredimur, initium â reali Definitione facientes, quæ sequens est, quod nimirum PHAGEDÆNA *sit ulcus malignum, in partibus præcipue glandulosis occurrens, illasque brevi circumcirca erodens & depascens, labia autem scirrhositate dolorifica obducens, fœtorem intolerabilem spargens, & loco puris laudabilis, vel saniem flavescentem, vel sanguinem nigricantem effundens, ex corruptione putredinoso-salina humorum seroso-lymphaticorum exsurgens, & in sphaceloso-ulcerosam plerumque transiens.*

§. IV.

Genus, seu rationem formalem ulcus esse diximus, eam maxime ob causam, quoniam unitas partium, in quibus occurrit, est soluta & erosa, per stagnantes & collectos ibidem humores acres & causticos jam jam corruptos, adeoque non obstat, quod præternaturalis harum partium extensio, sive tumor quidam auctior ordinarie præcedat, hujusque intuitu magis ad morbos

auctæ

auctæ magnitudinis referendus esse videatur, hic noster, cum id non nisi *Carcinomatis*, vel cancri occulti formale sit, â quo propterea tali ratione differt *Phagedæna*. Insuper etiam *malignum* illud esse asseruimus, non quod proprie ubivis & semper aliorum corpora malignitate sua inquinare, & contagiosorum affectuum ad instar, ita facile se ulterius propagare soleat, nisi quod in corpore individuali fieri solet, ubi utique seminia sua latius spargit, & ab una parte glandulosa ad alteram cum humoribus modo infectis se diffundit; sed relative tantum, habito nimirum respectu ad alia ulcera leviora, superficialia magis, nec ita late serpentia, pus laudabile & ordinarium fundentia, atque consolidationem citius ac facilius, post convenientium medicamentorum usum, admittentia.

§. V.

Subjectum adæquatum & principale ex definitione itidem jam patet, quod nimirum sint *partes glandulosæ*, non exclusis tamen reliquis *spongiosis & mollioribus*, quæ pariter intertexta vasa lymphatica intermixtasque gerunt glandulas, humorum seroso-salivalium & lymphaticorum depurationi potissimum destinatas; hinc, licet nulla fere in toto corpore occurrat pars, quæ glandulis & vasis lymphaticis non scateat, adeoque etiam nulla illarum ab invasione Phagedænæ libera prorsus videatur, attamen neque unius ejusdemque texturæ, nec in omnibus ita copiosæ sunt, ut corruptio talis fermentativo-putredinosa ita facile ibidem oriri ac produci queat: Quo magis enim partes glandulis refertæ, aut ex iisdem quasi conflatæ sunt, eo laxior

quo-

quoque, mollior & ſpongioſior eſt earundem textura, eoque magis tales ad recipiendum ejusmodi fermentum putredinoſum & excitandum tale ulcus cacoethicum ſunt diſpoſitæ, prout manifeſte hoc apparet in fœminarum Mammis, quæ hanc ob cauſam principaliter & frequentiſſime, tam ab occulto, quam exulcerato infeſtantur cancro, teſtantibus id innumeris â SENNERTO, SCHENCKIO, BARTHOLINO, SCVLTETO aliisque recenſitis exemplis, non exceptis tamen virorum mammillis, quæ, ſicuti aliarum circumſtantiarum intuitu muliebribus mammis aſſimilantur, ſic quoque haud raro turpiſſimo hoc affectu itidem infeſtantur, teſte inter alios HILDANO *Cent. I. obſ. 89.*

§. VI.

Præter has vero aliæ etiam partes externæ, quodammodo ſaltem glanduloſæ & molles, interdum truculento huic malo ſubjiciuntur, & quidem vel ob innatam quandam diſpoſitionem, qualis ſub nævis maternis ſœpius latitat, vel etiam ob externam aliquam concurrentem occaſionem: Sic FORESTVS *Lib. VII. Obſ. chirurg. 17.* reminiſcitur excreſcentiæ cancroſæ *ſupra oculum* ulceratæ, in viro ſexagenario ab inde etiam demortuo. De cancro autem in *ipſo oculo* virginis cujusdam, extra orbitam jam ob nimiam inflammationem acto, lethalem pariter exitum inferente, notatu digniſſima extat obſervatio VALENTINI in *A.N.C. Dec. II. Ann. 6. obſ. 72.* In *naribus* occurrentem cancrum deſcribit BORELLVS *Cent. II. obſ. 51.* qui tamen feliciter, & quidem ſolo Onopordi contuſi ſucco, fuit curatus. *Gingivas* cancroſâ excreſcentiâ deturpatas in

B tri-

tribus subjectis, in flore juventutis exinde demortuis, vidit HILDANUS *Obs. chirurg. Cent. I. obs. 30.* qui etiam notatu dignam ab alio sibi communicatam historiam, de Cancro *linguæ* refert, *Cent. III. Obs. 84.* In *genis* obortum Cancrum describit BARTHOLINUS *Historia anatomica 26. Cent. I.* Imo in *Dente* pueruli unius anni observatum tandemque lethalem; mirabili & ferè inaudita observatione tradit HERTODIUS *in A. N. C. Dec. I. Ann. I. Obs. 5.* ex fissura *labiorum* inductum exhibet TIMÆUS â GULDENKLEE *Lib. I. cas. 3.* Sub *axilla* latentem, in principio verrucæ ferè similem, multosque propterea fallentem, postmodum vero horrendum & stupendum vidit PANAROLUS *Pentec. IV. Obs. 33.* In *collo* & *femore*, ut & in utroque *inguine*, ex prægressis fistulis prognatum habet PLATERUS *Lib. II. Obs. pag. 492. & 493.* Sic *præputium* cancrosum reportavit, post concubitum cum uxore durante fluxu menstruo celebratum, rusticus apud RHODIUM *Cent. III. Observ. 39.* in ipso autem *pene*, ex lue venerea antea curata resultantem, deprehenderunt BLEGNY *in Zod. Gall. Ann. 1689. M. Septemb. Obs. 4.* & MURALTUS *in A. N. C. Dec. II. Ann. 3. Observ. 125.* quin tandem in *natibus* cancrosum tumorem, vehementibus & gravioribus symptomatibus stipatum ac satis chronicum, descripsit HILDANUS *Centur. I. Observ. 89.*

§. VII.

Proinde etiam non raro cancrosæ tales ulcerationes occurrunt in *internis visceribus*, speciatim vero in iis, quæ spongiosioris quodammodo sunt texturæ, v. g. in *Utero*, in quo fungum cancrosum deprehendit *Stal-*

part

part van der WIEL *Cent. I. Obſ. 87.* totam autem ejus ſubſtantiam cancroſam obſervârunt RHODIUS *Cent. III. Obſ. 45.* FORESTUS *Lib. 28. Obſ. 47.* MERCURIALIS *Tom. II. Conſil. 84. p. 201.* aliique. Interdum etiam obſervatæ fuerunt in *Veſica*, juxta TULPIUM *Obſerv. Med. Lib. IV. cap. 38.* aut in *collo* ejus, ſeu meatu, teſte *Stalparto van der* WIEL *Cent. I. Obſ. 88.* aut in *Pancreate* ſecundum HERTODII relationem in *A. N. C. Decur. I. Ann. 1. Obſerv. 99.* aut denique in aliis internis partibus, de quibus plura vid. apud HILDANUM *Cent. III. Obſ. 87.* In omnibus autem ac ſingulis hiſce locis rariſſimè unice hæret grave iſtud malum, quin potius brevi plerumque temporis ſpatio ad alias vicinas etiam tranſit partes, ibique latentes inſimul inquinat glandulas atque tali ratione, absque ulla ferè difficultate, latius evagatur & ſerpit, quoniam maximus inter glandulas eſt conſenſus, ut, ſi modo quædam illarum tali ratione affectæ fuerint, ſtatim levi negotio & brevi manu aliæ quoque contaminentur, quemadmodum ſœpe, qui v. g. eſt in mammis, ſerpit ad glandulas axillares, ex his ſurſum ad cervicem, dehinc in Parotides & ſic porro; ſub quo ſucceſſivo progreſſu & conjuncta ſimul totali partium iſtarum molliorum abſumtione, utique ſenſim ſenſimque extenuari & ſic tanto magis ad interitum præparari debet miſerum & nimium jam afflictum tale corpus.

§. VIII.

Quod *differentiam*, ſeu diſtinctionem Cancri in diverſas ſpecies, attinet, illa unice ferè diverſitati cauſarum ac ſymptomatum eundem concomitantium ſuperſtructa eſſe videtur, imò ex eâdem potiſſimum de-

rivatur. Ratione *speciei* enim alius est *occultus*, qui solo tumore, ardore & lancinatione subjectis molestus evadit; alius autem *exulceratus* & *apertus*, de quo præsens tractatio solitariè agit, quique corrosione, fœtore, hypersarcosi, sanguinis profusione aliisque diris symptomatibus ægros ad mortem usque discruciat. Ratione accidentium alius est *primigenius*, sive *idiopathicus*, qui citra prægressum alium morbum invadit & primo statim exortu talis est; alius *secundarius*, vel *symptomaticus*, qui alios graviores morbos prægressos, febres, mensium suppressionem, &c. excipit inprimis autem aliis benignioribus tumoribus aut ulceribus demum supervenit. Ratione *durationis* alius est *incipiens* & *recens*, qui adhuc in principio constitutus est, alius vero *perfectus* & radicatus, qui latius progreditur & priore malignior est. Variat proinde etiam ratione *coloris*, dum partes circumjacentes modo obscurè *rubicundo*, modo etiam livescente & nigricante colore magis perfusæ apparent: Sic tandem etiam respectu partium quas occupat, seu *sedis*, differt, dum modo *evidens*, partes nempe quaslibet exteriores, faciem, labia, mammas, penem &c. occupans, modo etiam *latens* vel absconditus est, qui interiores partes, palatum, uterum, vesicam urinariam, &c. obsidet.

§. IX.

Signorum diagnosticorum fusior equidem recensio atque descriptio non adeo necessaria circa hunc affectum videtur, cum ulcus, quod formalitatem ejusdem constituit, facillimè in sensus incurrat, & cuilibet statim vel fœtore, vel turpissimo colore se se manifestet; interim

tamen

tamen, ut tanto exactius ab aliis congeneribus & eundem interdum simulantibus affectibus discerni queat, paucis ad minimum principaliora ejusdem signa pathognomonica examinanda erunt. *Imminentem* igitur, vel potius *incipientem*, licet adhuc occultum, dirissimum hunc affectum denotat *tumor* varicoso-scirrhosus, in principio valde exiguus, & vix ciceris interdum magnitudinem exæquans, in glandulosa quacunque parte se se exserens, & sensim tantum, rarissimè brevi temporis ambitu increscens, valdè tamen durus, figuram modo inæqualem, modo rotundam vel sphæricam exhibens, plus vel minus indolens, nisi tempore incrementi, ubi paulo magis acutum sensum ardoris urentis & penetrantissimæ punctionis simul infert, rarius tamen ita præcipitanter in actuale ulcus, seu veram *Phagedænam* degenerat, nisi vel externis remediis incongruis, humectantibus nimirum, relaxantibus & emollientibus tractatus, vel etiam fortioribus & frequentioribus animi pathematibus excitatus & exacerbatus fuerit: Tunc enim *perfectum* & consummatum dirissimum huncce affectum produnt dolores non solum vehementiores, absque ulla ferè intermissione aut remissione pertinacius affligentes, sed & noctu præcipue se se exacerbantes, sub quibus venæ & arteriæ, per superficiem partis afflictæ discurrentes, inprimis circa extremitates suas, undique notabili sanguinis obscurè ruffescentis aut planè nigricantis infarctu distenduntur, donec tandem erosâ & absumtâ, quæ illas tegit, cute, hæc quoque simul erodantur, sicque sanguineus, quem ordinariè vehunt, humor, gravi cum ægrotantium debilitatione, una cum sanie flavescente effundatur.

§. X.

§. X.

Sub his autem circumſtantiis, ipſum *Ulcus phagedænicum* hac ratione productum de die in diem magis abominabile & aſpectu horrendum redditur, ſiquidem in circumferentia ejusdem ingens durities & nodoſa ſcirrhoſitas tuberculis undique obſita occurrit, labia autem ipſius partis exulceratæ admodum turgida, tumida, foris quaſi inverſa atque calloſa, ſimulque colore modo livido, modo ex atro-rubente, modo etiam pallido-roſeo perfuſa apparent, atque ex ipſo ulcere deſtillat materia nonniſi ichoroſa, flaveſcens, tenuis & limpida, ſimul adeò acris & cauſtica, ut non ſolum impoſita lintea & intruſos plumaceolos diſcerpat, ſed & ipſam cutem ſanam, quousque eam attingere poteſt, erodat & excoriet, quod tamen non contingit, ſi paulo viſcidior & craſſior forſitan illa fuerit, ubi communiter deteriorem magis colorem & odorem exhibet. Totum autem ulcus fœtorem fermè intolerabilem, quaſi putredinoſum ac cadaveroſum, de ſe ſpargit, qui teterrimo illi odori, carnium in aceto vel muria ſalina computreſcentium, proxime accedit, imò eundem excedit, ægrisque propterea & adſtantibus maximè adverſus & nauſeoſus evadit; proinde etiam corruptio illa præſens circumcirca latius ſerpit & partes adjacentes modò languide, modo etiam citò & præcipiti greſſu depaſcit, ut tandem, abſumtis mollioribus & muſculoſis integumentis, vel ipſa ſubſtrata oſſa denudentur & carioſa reddantur, vel etiam, pro re nata, viſcera interiora detegantur, ſicque in ipſas corporis cavitates fœda iſta materia

tran-

transſeat, mortemque ſœpius forſitan â miſerrimis ejusmodi ſubjectis exoptatam acceleret.

§. XI.

Præter autem hactenus recenſita ſatis gravia iſta ſymptomata, accedunt etiam notabiles *actionum* quarumlibet in ejusmodi ægrotantibus *læſiones*, ita, ut ratione *animalium actionum* læſarum, gravitas inſolita in artubus, dolor capitis modo auctior, modo mitior, ob humores impuros, acres & ſalinos ſub circulatione intra cerebrum ſimul delatos, ejusque membranas vellicantes, irritantes & diſtendentes; agrypniæ, nec nonvigiliæ contumaces, aut ſomnus ad minimum valde turbulentus & interruptus, vel crebrioribus inſomniis anxiis ac terrificis ſtipatus, ob tumultuarium, confuſum atque inordinatum ſpirituum motum, humorum nimium depravatam craſin & blandioris ſulphurei principii in iisdem defectum, occurrant. *Vitalium actionum* læſionem indicat nimia virium proſtratio, concurrentia animi deliquia, pulſus debilis & frequens, ac tandem his omnibus ſuperveniens lenta aut hectica febris: *Naturales* autem *actiones* læſas deſignant abolitus fere in totum appetitus, chylificatio maxime læſa, nutritio ſenſim deficiens, cum ſuccedente partium atrophia & extenuatione, ſitis vel auctior, vel planè nullus, pro gradu & diverſitate febris conjunctæ, ſecretionum atque excretionum ordinariarum impeditior ſucceſſus, indeque dependens gravior ſtatus cachecticus & cacochymicus, unde etiam poſtmodum *qualitates externæ* mutantur & depravantur, oculi ſcilicet ſplendorem ſuum ordinarium amittunt, impalleſcunt, obſcurantur

& in-

& intumescunt; color oris roseus in pallidum aut obscuriorem transit, totaque facies naturali suo decore orbata, livido, fusco & pallido-flavescente undique obducitur colore, ita ut vivi etiam in eâdem jam mortis præ se ferant imaginem.

§. XII.

Ex his ergo nunc probe pensitatis & consideratis, liquido constare arbitror, quod, sicuti in genere ex unanimi celeberrimorum Practicorum consensu, quævis Cancri species malum admodum sonticum existit, atque plus sœpius in recessu ponit, quam in fronte gerit; sic & speciatim exulceratus, sive *Phagedæna*, præ Carcinomate seu occulto Cancro truculentior, pejor & magis funestus esse debeat, præprimis quoniam teste HILDANO *Tract. de Gangr. & Sphacelo. Cap. VIII.* sœpius nequidem admittit ullam mitigationem. Interim tamen, hoc non obstante, lethalis non semper & ubivis statim formanda est Prognosis, cum quandoque etiam adhuc quædam curationis spes affulgeat sub dirissimo cæteroquin hoc nostro affectu, præsertim quando ille adhuc recens, nondum latius progressus & glandulis aliis vicinis communicatus, massa humorum non plenarie infecta est, insuperque æger in ætate vegeta juniori constitutus, nec adeo ingenti symptomatum catervâ obrutus, viribus non nimium destitutus atque â febrilibus commotionibus adhuc liber existit, confirmante id ipsum inter alios Doctiss. HEVRNIO *in Not. ad Hippocr. Aphor. 38. Sect. VI.* Quodsi autem ab initio neglectum fuerit pessimum hoc ulcus, tunc periculosius & curatu difficilius evadit, insimulque, licet non

non ſtatim enecare queat, attamen diutiſſimè & vehementiſſimè excruciare valet ægrotantes, donec magis confirmatum illud ſit, ultimusque immineat gradus, ſub quo fluidæ non ſolum & ſolidæ partes in totum depravatæ apparent, ſed & ad ipſa interiora viſcera progreditur corruptio, ubi ſanè res prorſus conclamata eſt, ipſeque hic truculentus affectus communiter, ſi non per ſe, tamen propter reliqua innumera eidem ſupervenientia ſymptomata, mortem accelerare ſolet.

§. XIII.

Inde etiam periculum in Phagedæna aliàs metuendum, variat ratione *cauſarum* eandem excitantium, ita ut gravior ſemper & periculoſior ſit illa, quæ â cauſis internis, univerſali nimirum humorum cacochymia ſcorbutica, acri, ſalſa, muriatica, bilioſa, &c. nec non motibus eorundem vitiatis & erroneis dependet, quam quidem quæ ab externis cauſis, citra præcurrentes aut concurrentes alios ſonticos affectus, introducitur. Ratione *temporis* & *durationis* parum ſolatii in Prognoſi ſupereſt pro afflictis, cum plerumque chronicus, contumax & rebellis exiſtat affectus, non tantum per menſes, ſed per annos interdum durans, omnemque medicamentorum uſum & applicationem eludens, inprimis ſi corruptio non admodum præcipitanter & citò progrediatur, ubi lentæ communiter internecioni miſerè jam jam excruciatos tradit ægrotantes, idque tanto certius, ſi illi in tempore, quod tamen omnium rerum primum eſt, vel neglexerint, vel generoſa hæc & maximè neceſſaria præſidia admittere recuſaverint.

§. XIV.

Cognitâ sic morbi nostri sede & indole, necesse nunc erit, ut ad evolutionem *causarum* ejusdem progrediamur, quoniam non nisi tunc rem scimus, quando per causas eandem agnoscimus: Hinc *causam principalem* & *immediatam* ponimus in *stasi*, tam lymphæ acrioris, acidæ & austeræ, quam sanguinis jam tum viscidioris quodammodo, & in tubulis ac porulis glandulosarum & spongiosarum partium contingente: Quanquam enim in statu naturali satis expeditè hi ipsi humores per consueta sua vasa ad minimas etiam & tenerrimas ferantur partes, tamen prior ille, si præternaturali ordine in glandulis aliisque suis receptaculis diutius, quam par est, retineatur & retardetur, statim ichorescit & successivè peregrinam atque â naturali planè alienam induit naturam, ac variis tandem impuritatibus heterogeneis, acribus, biliosis, fermentescentibus, magis magisque inquinata, viscidatem tenaciorem nanciscitur, ipsisque glanduloso-tubulosis ejusmodi partibus firmius insinuatur & ibidem impacta quasi hæret, dumque hac ratione liberiorem sanguinis affluxum & transitum per angustissimos in his regionibus occurrentes canaliculos porulosque impedit, pariter quoque hunc de reliquo jam jam spissescentem & particulis acidis salinis atque terrestribus abundantem humorem, ad similem stasin & coagulationem subeundam cogit, sicque emergit suspectus ille tumor aut nodulus, primigenium pessimorum talium ulcerum fundamentum & matricem quasi constituens.

§. XV.

§. XV.

In tali enim ſtatu ſæpè diu ſatis malum hoc perſiſtit, ita ut interdum per plures annos, citra ullam quandam ulteriorem noxam, in talibus partibus deliteſcat, teſtante id TVLPII obſervatione *Lib. I. cap. 47.* de Cancro per 50. annos innoxio: Quando autem ſenſim major majorque particularum viſcidarum & acriorum copia ibidem colligitur & coacervatur, tunc plures etiam tubuli ſucceſſivè obſtruuntur, imò ad rupturam usque infarciuntur, ut inde non ſolum tumor augeſcat & ad molem ſatis prodigioſam interdum excreſcat, ſed &, ob ſanguinem ibidem copioſius ſtagnantem & collectum, per cutem transparentem, colorem lividum, fuſcum vel nigricantem induat, vaſaque circumjacentia ad turgeſcentiam varicoſam diſponat, concurrentibus tunc, ob ſpaſticam fibrarum ſtricturam, doloribus ſatis acutis, punctoriis, ardentibus, rodentibus aliisque, tamdiu indeſinenter continuantibus, donec vel per inprovidam emollientium, aut acriorum irritantium applicationem, vel internum nimium M. Sneæ orgaſmum, auctior humorum tenuiorum affluxus, atque ſic coaguli ſpiſſioris dilutio excitatur, ſub qua dein ſuppreſſa hactenus & coercita putredinoſo-fermentativa ſanguinis indoles magis ſeſe manifeſtat, atque particulæ ejusdem ♀eæ ſubtiliores â nexu reliquarum liberatæ, in vicinas ſeſe diffundunt partes, iisque ſimilem corruptelam putredinoſam communicant. Ne verò hæc tam præcipiti progreſſu, uti in Sphacelo fieri aſſolet, proſerpat, efficit affluxus ſeri ſubſalſi & commixtio lymphæ in viſcidam ac tenacem muceſcentiam jam redactæ, quæ

quidem ab una parte imminentem aliàs ſphacelôſam putrefactionem infringit, ab altera verò, propter enatam horum humorum pinguium ac gelatinoſorum inter ſe graviorem confermentationem, tandem acerrimam acido-corroſivam ac ferè caufticam virulentiam producit, quæ non ſolum tubulos, quibus inhæret, ſucceſſivè abſumit, ſed & partes circumjacentes latè depaſcit & erodit, ſicque dolores atrociſſimos, fœtorem intolerabilem & quaſi cadaveroſum, una cum ſaniei ichoroſæ, flaveſcentis vel nigricantis, imò etiam ſanguinis ibidem ſtagnantis copiosâ interdum & periculosâ promanatione, cauſatur & inducit. Tandem pernicioſa hæc labes, reſorptis nimirum ſubindè per vaſa ſanguifera & lymphatica jam eroſa particulis ejusmodi fermenteſcentibus & putridis, toti maſſæ humorum communicatur, indeque ſtatus ſanguinis cacochymicus ac ſumma ſpirituum perturbatio exoritur, â quâ dein non ſolum febris lenta & hectica, ſed & augeſcente ſubinde dolorum vehementia, continuæ agrypniæ, ſummæ anxietates, frequentiores lipothymiæ aliaque ſuperius recenſita ſymptomata & omnium ærumnarum finis, Mors inducitur.

§. XVI.

Quod autem reliquas ſpecificè adhuc recenſendas cauſas attinet, & quidem *cauſam mediatam proximiorem*, hanc omnia illa conſtituunt, quæ ſtaſin lymphæ atque ſanguinis in prædictis partibus ſpongioſis & glanduloſis inducere valent, præprimis autem horum humorum *quantitas vitiata*, cujus intuitu ob impeditam per teneriora vaſcula circulationem nimium ibidem accumu-

cumulatur, nec non *depravata* eorundem *qualitas*, viſcida præcipue & acris, â difficiliori illorum progreſſu maximè dependens & oboriens, ac tandem *motus* ipſorum *erroneus* tam orgaſticus, quam congeſtorius, quo ipſo communiter in majori & auctiori quantitate tales verſus partem forſitan jam debilitatam aliquam propelluntur, & ſic tanto facilius ad ſtagnationem graviorem ſubeundam itidem diſponuntur. Huc etiam pertinent *obſtructiones viſcerum*, ſecretioni & depurationi lymphæ potiſſimum inſervientium, unde hæc magis magisque ab inhæreſcentibus particulis heterogeneis inquinatur, & poſtmodum maſſæ ſanguineæ affuſa eandem quoque depravat & univerſalem inibi dyſcraſiam excitat. Nec omittenda etiam ſunt animi pathemata, præſertim *terror vehemens* & *repentinus*, qui, uti actus omnes vitales, ſic & in ſpecie functiones ſecretorio-depuratorias humorum valdè turbat & alterat, ut & ſpeciatim nimia & arctior mammarum conſtrictio per veſtimenta, aut harum pariter ac aliarum glanduloſarum partium fortior atque impetuoſior *contrectatio*, *compreſſio* aut *contuſio*, parilem humorum ibidem tranſeuntium ſtaſin communiter poſt ſe relinquens.

§. XVII.

Tandem *remotiores cauſas occaſionales*, ex claſſe rerum *naturalium*, conſtituunt *Temperamentum*, melancholico-plegmaticum præcipue, utpote ad cruditates & impuritates tam in primis, quam ſecundis viis producendas & adaugendas aptiſſimum; *ætas* præſertim conſiſtens & ſenilis, ad humorum viſcedinem ac lentorem inducendum magis præ reliquis diſpoſita, nec non *habitus*

bitus corporis constrictus & siccior summè necessariam, pro humorum depuratione, insensibilem transpirationem valdè impediens, ac tandem *sexus sequior*, ob frequentiores partim mensium & aliarum excretionum turbas, partim etiam molliorem & laxiorem corporis habitum, irregulari humorum circulationi & faciliori versus partes glandulosas regurgitationi ac stagnationi itidem maximè expositus. Ex *non-naturalium rerum classe* multum huc faciunt, *aër frigido-humidus* aut subitaneæ ejusdem ex calido in frigidum, & vicissim ex hoc in calidum, mutationes, humoribus inspissandis & condensandis & stasibus eorundem excitandis vel maximè favens; *alimenta* crudiora, spissiora, dyspepta, fermentescentia, refrigerantia, & qualiacunque alia impuritates varias post concoctionem relinquentia, iisque totam postmodum sanguinis massam depravantia; *errores* circa *motum* & *quietem*, ut & *somnum* ac *vigilias*, tam in excessu, quam defectu commissi, similes humorum in crasi & mixtione sua laudabili alterationes & inquinationes fonticas introducentes; quales communiter etiam ab *excretionibus* ordinariis & adsvetis, in circulo suo nimium quantum turbatis, vel planè suppressis, expectandæ sunt. Tandem ratione causarum ex censu *rerum præternaturalium* occurrentium, in superioribus jam monitum fuit, quod mala viscerum constitutio, ut infarctus & scirrhi eorundem, varii generis morbi chronici, cacochymia universalis, scorbutica, biliosa, venerea, ulcerationes diuturnæ serpiginosæ ac plura hujus generis alia, utique satis frequentem pariter pro excitando & stabiliendo nequissimo tali ulcere, suppeditent occasionem.

CAP.

CAPUT POSTERIUS.

Curationem Phagedænæ exhibet.

§. I.

ENumeratis nunc iis, quæ ad theoreticam potissimum hujus affectus tractationem spectant, sic quoque *methodus* eidem *medendi* paucis indicanda erit, quæ duabus nititur indicationibus, nempe ut I) *Corruptio putredinoso-fermentativa infringatur, ejusque ulterior progressus inhibeatur*; & II) *Consolidatio dein, quantum fieri potest, promoveatur.* Ad *priorem indicationem* obtinendam, remote ad minimum, haud parum conferunt interne *purgantia*, viribus ægrotantium accommodata, in Pilularum præcipue forma ordinanda & aliquoties repetenda, ut partim stabulantes adhuc in primis viis impuritates removeantur, partim etiam ulterior illarum ex M. S. jam jam depravata affluxus versus partem afflictam præcaveatur, talesque magis ad commune quoddam excretorium deriventur. Prosunt hoc nomine Extracta herbarum antiscorbuticarum, Trifol. fibr. Card. ben. Fumar. Cent. min. Cochlear. Nasturt. item Extr. Panchym. Croll. ☿ius dulc. MP. de Fumar. de Eupator. de Succin. Crat. &c. &c. aut si Infusa cuipiam magis arrident, poterunt ex iisdem speciebus antiscorbuticis cum Rad. Helleb. nig. Polypod. qu. Bryon. Rhabarb. Or. Agar. troch. sociatis, talia cum vino parari & per unam alteramve septimanam horum usus continuari. His interponenda aut subjungenda erunt *diuretica* & *diaphoretica* blandiora, M. S. præcipue â seroso illo latice admodum noxio liberan-

berantia, veluti sunt TRa ♁ij acr. TRa ♀i Ess. Succin. Pimp. alb. Lignor. Imperator. Angel. &c. conjuncto potu tenuiori, aut, pro phlegmaticis maximè subjectis, Decocto quodam Lignorum dilutiori, vel Infuso aliquo Theeformi appropriato. Pro eodem scopo conveniunt etiam, in pulverum præcipuè forma, ♁lia & Bezoardica fixa, videlicet ♁ diaphor. elixiviatum & non elixiviatum, Bezoard. miner. ⊙are ☽re, Joviale, Millepedes præparati, ⊖ Viperar. Serpent. ☿is nat. & ♁ii, cum absorbentibus, testaceis & marinis combinata.

§. II.

Ex fonte chirurgico pauca equidem sunt, quæ ad hunc scopum impetrandum proprie ac directè faciunt; cum V. Snes, scarificationes, vesicatoria, fonticuli atque frictiones, ad causam hujus morbi qua talem vel removendam, vel corrigendam parum faciant, quippe quæ in Lymphæ viscidítate, & ichorescentia maximè consistit, adeoque aliis planè remediorum generibus corrigenda, refrænanda & evacuanda erit; interim tamen non planè omittenda, sed in subjectis assuetis, plethora urgente & turgente prægravatis ac spongiosioribus, tempestivæ V. Snes & scarificationes, in serosioribus autem magisque phlegmaticis & cacochymicis reliqua præsidia chirurgica, in initio statim in usum trahi poterunt, modo insimul respectus habeatur ad vires & constitutionem ægrotantis, ne forsitan generosiori tali methodo illæ magis, quam ipsâ truculenti morbi ferociâ, frangantur ac prosternantur.

§. III.

Inter *externa*, scopo huic mundificatorio maximè

satis-

ſatisfacientia, eminent 🝆 balſamica temperatiora, non usque adeo volatilia, videlicet 🝆 Myrrhæ per deliquium, vel 🝆 Therebinth. cum 🝆 Lateritio & Ovorum contemperata, cavendo ab aliis unguinoſis & rancidis pinguibus, fermentationem iſtam ordinarie magis exacerbantibus; qui vero illorum quoque 🝆orum applicationem reformidat, poterit Eſſ. Myrrh. & Eſſ. Succin. additis paucis guttulis 🝆i Therebinth. ſimili cum ſucceſſu adhibere. Eandem quoque virtutem exſerit Balſamus ♁ii ex ſcoriis Reguli ♁ii paratus, & cum Sacch. ♄ni, prævia leni digeſtione, combinatus, item ⊖ fuliginis, ex reſiduo poſt deſtillationem illius capite mortuo extractum, & cum 🝆 Ovor. in linimenti formam redactum, atque ita applicatum: Cui lubet, is poterit etiam Decocta mundificantia ex herbis balſamicis, antiſcorbuticis non usque adeo acribus, ſed magis amaris & travmaticis, addendo Gummata quædam temperatiora, vel cum ▽a ſimpl. vel cum vino parare, & modo cum Syringa injicere, aut ſub qualibet deligatione cum linteis duplicatis calide applicare, quemadmodum tale ſatis egregium inter alia deſcriptum extat in *A. N. C. Decur. II. Ann. X. Obſ. 76.* Pariter quoque aliud hujus generis & præſtantis admodum effectus commendat Celeberr. CLAVDERVS in modo allegatis *A. N. C. Dec. II. Ann. VIII. Obſ. 209.* ex Lixiv. Calc. viv. cum Herb. Fumar. Summitat. Pin. & Hyoſc. addito alcali quodam fixo, vel Cinere cancrorum & O uſto paratum, nec non Mixturam ex ▽a flor. Hyper. Flor. omn. ê ranis integris, ſpermate ranarum, adjuncto pulvere ê ranis & bufonibus calcinatis, conſtantem.

§. IV.

Pro tollenda hyperſarcoſi equidem temerarii quidam ☿ialia, æruginoſa & ♀ea quævis indiſcretim uſurpant, peſſimo autem plerumque cum ſucceſſu, ob præſentem jam jam ſatis cauſticam & corroſivam humorum acrimoniam, cujus intuitu nunquam ſeptica & corroſiva externa, niſi optimè præparata & ſummo tamen ſemper cum judicio, ſunt adhibenda, aliàs oleum igni additur & remedium ipſo morbo gravius redditur. Omnibus ergo reliquis, in hunc finem aliàs tantopere deprædicatis & commendatis, palmam meritò & ſecuritate & effectus præſtantiâ præripit Cremor Calcis vivæ, decocto ejus ſupernatans, labiis fœdiſſimi hujus ulceris inſpergendus, aut illinendus, quippe qui partem corruptam promtiſſime tutiſſimeque ſolvit, partibus ſanis omnimodo ſalvis relictis, teſte, præter ipſam experientiam clinicam, Celeberr. HOFFMANNO in *Clav. pharmaceut. Schrœd. pag. 174.* Alii ſpecificè ſuccos Cicutæ, Solani, Semperviv. Geran. & Plantagin. commendant, quibus tamen HILDANUS *Cent. I. Obſ. 1.* aquam ex ſimilibus ſuccis, per Alembicum plumbeum deſtillatis, præfert, licet & huic & illis multo magis præferendus ſit ſuccus Hyoſciami Peruviani, ſeu *Tabaci*, recenter expreſſus, aut in defectu hujus, Decoctum ejusdem cum ▽a ſimpl. factum, quoniam, confirmante jam multiplici experientiâ, ſicuti in aliis fiſtuloſis & ſerpiginoſis, ſic & ſpeciatim in phagedænicis ejusmodi ulceribus, ſingularem planè virtutem abſterſoriam & mundificatoriam exſerit, ſimulque aliquoties refractarios cœteroquin tales affectus, ſi modo non nimis inveterati illi fuerint, feliciter etiam ad conſolidationem plenariam diſpoſuit. Sic etiam remedia ♄nina â multis eximiè commendantur, quorum uſum propterea, utpote ſalutari interdum effectu corroboratum, non ſimpliciter diſſuademus, modo providus tantum ille ſit; hinc vel Ceratum ♄ninum â TULPIO eximiè deprædicatum, quod ex 🝆 Roſar. ℥ij Ceræ alb. ʒij. & Plumbi uſti ac loti ℥ß conſtat, vel etiam ſequens Linimentum adhiberi poterit: ℞. Plumbi uſti & loti, Ceræ alb.

aa

aa ℥j. Myrrh. rubr. ʒiij & Rosar. ℥iij. Croc. or. pulverif. ℥j. Fol. Solan. pulverif. ʒijß M. contund. invicem in Mortar. calente per aliquot horas cum pistillo plumbeo & postmodum applicetur. Reliqua autem Specifica, in Practicorum libris undique & undique occurrentia, quod attinet, illorum evolutionem & exactiorem recensionem temporis brevitas & chartæ angustia non permittunt, quapropter ea cujusvis prudentioris Medici inquisitioni & experientiæ relinquimus.

§. V.

Quod *alteram indicationem* & promovendam, secundum tenorem illius, consolidationem concernit, ea, si modo ratione antecedentium, inprimis autem præmittendæ mundificationis & abstersionis omnia bene se habeant, levem aut nullam deinde involvit difficultatem, quin potius facili negotio, sub usu internorum Decoctorum balsamicorum & travmaticorum, & externorum sarcoticorum, exsiccantium & constringentium, in Chirurgia pariter ac Medicina notissimorum, obtinebitur, quoniam dimidium consolidationis in debita & ritè peracta mundificatione semper consistit, quæ propterea ante omnia & respicienda & quovis modo promovenda erit. De reliquo ratione Emplastrorum, durante hujus truculenti affectus curatione imponendorum, non nisi hoc monere placet, quod vel Miraculosum, seu Saponat. Barbette, vel Diasulph. Ruland. vel Opodeldoch Paracelsi, vel, si præcipue atrocia dolorum urgeat, anodynum Deckeri, vel Diapomphol. reformat. vel etiam Empl. Diapalm. vel aliquod ex his mixtum, in usum vocari queat; sectio autem chirurgica & plenaria per eandem rebellis hujus ulceris ablatio & remotio, non nisi tunc locum habeat, quando illud adhuc recens, nec usque adeo latè in vicinas partes & glandulas diffusum, ægerque ad illam sustinendam sufficientibus adhuc viribus instructus fuerit.

§. VI.

Ratione *Diætæ* paucis non nisi superaddimus, quod tam

tam sub Cura, quam etiam post peractam illam, *Aër* requiratur calidus, moderatissime humidus, omniumque heterogeneorum & noxiorum inquinamentorum expers; *Cibi* sint benè nutrientes, evchyli & evpepti, atque ab omni noxia qualitate, humorum mixtionem & crasin denuo depravante, liberi; *potulenta* sint tenuiora, probe fermentata & defæcata, non excluso vino, cum herbis antiscorbuticis medicato. Inter *animi pathemata* fugiantur inprimis Terror, Ira, Mœrores, tristitiæ & sollicitudines, aliàs enim Medicus sub ordinatione & usu medicamentorum cœteroquin exquisitissimorum oleum & operam perdet. Alvus unacum reliquis ordinariis & consuetis *excretionibus*, vel sanguineis vel serosis, aliisve debitè respondeat, & quoad Motum ac Quietem, Somnum atque Vigilias caveatur, ne vel in excessu, vel defectu peccetur, sed semper tritissimum illud monitum probè observetur: *Medio tutissimus ibis.*

T A N T V M.

ÆMula quem Virtus stimulis irritat honorum,
Subdit & ingenuo calcar inane Viro,
Colligit exemplis, quæ quanta Scientia possit,
Dum cernit Fratrem plurima scire suum.
Acriùs affectant Germani casus honores,
Nam quòd Germanus flagitat, alter habet.
Gratulor hos igitur, Deus ut fortunet honores,
Et data fœcundet fœnore dona tibi.

Ita gratulabundus accinuit

PRÆSES.

